

S. ALPHONSUS.

3. An liceat administrare sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione tantum probabili?... *Tertia sententia quam amplector et tenent Suarez... Marchantius et Gobat, Wigandt, Sporer, et Elbel cum Bardi, Sancio et Babenstuber, dicit licitum quidem esse... sed non nisi quando adest causa gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis, ut ajunt Elbel et Wigandt; vel causa rationabilis, ut inquiunt Suarez et Sporer... (p. 486).*

4. An sacerdos simplex possit pœnitentem absolvere moribundum, etiam præsentem confessario approbato? Prima sententia communissima negat (a qua) puto non recedendum ob auctoritatem Ritualis Romani... (p. 501). * No se ha de inquietar á los que llevan la opinión contraria. (Véase en el núm. 2339 una declaración del Santo Oficio.) *

» Hasce P. Ballerini objectiones acute jam diluit egregius defensor in causa doctoratus, scitissime advertens: «Nonnunquam contingit cl. antecessori, ut S. Alphonso exprobraret quod communi auctorum sententiæ contradicat, et suffragatorum inopia laboret. At diligentes pervestigatores repererunt, nominum supputationem haud semel adnotatorem fefillisse, et minime communem esse opinionem quam S. Auctor rejecerat... Quoniam vero de numerandis auctorum locis incidit sermo, reticenda non est querela illa, quam a viris sapientissimis excepi, quod, nempe, professor egregius, in obijcienda S. Auctori nostro communi sententia, non satis apte vim hujus vocabuli dimetiatur ritu arithmetico, non theologorum. Prudentioribus profecto semper hæc regula fuit, quod auctores non sint numerandi, sed ponderandi...»

» Quocirca probe notanda veniunt, quæ ipse S. Alphonso docet: «Sedulo semper advertendum, quod auctoritas scriptorum non ex multitudine, sed ex eorum gravitate æstimari debet; ita ut paucorum vel etiam unius doctoris speciali scientia ac pietate præditi auctoritas aliis pluribus aliquando præferenda sit; non enim eodem modo inniti possumus auctoritate aliquorum auctorum, puta, Caramuelis, Zanardi, Joannis, Sancii, Leandri, Martini a S. Joseph, Dianæ, Antonii a Spiritu Sancto, Tamburini, Pasqualigi, et aliorum qui, licet docti et probi, ac bona fide ducti fuerint (non enim mala fide tradidisse ea quæ scripserunt fas est suspicari), tamen incaute in pluribus opinionibus nimis benignitati indulserunt; sicut innitimur auctoritate Suarii, Soti, Azorii, Cani, Sylvii, Cajetani, Bannez, Navarri, Paludani, Toleti,

3. Primus, ut videtur, S. Alphonso fuit, qui hanc... limitationem distincte proposuit. Verum... enervari forte cuiquam videbitur. Nam si præcedens sententia (affirmans), ipso facte, communis est..., quid deferri poterit oppositæ, quam... Marchantius invexit, et Sporer non nisi præsidio trium falsarum allegationum denique communivit... (quarta itidem falsa allegatio Suarezii apud S. Alphonsum additur), qui nihil tale docuerunt? Adde, ex hac limitatione Sacramentorum administrationem innumeris scrupulis et difficultatibus obnoxiam fieri (p. 490, seqq.)

4. Viginti quinque minimum doctores produci possunt, qui oppositam sententiam sequuntur. Quæ doctorum consensus evincit, haud invicti roboris esse argumentum quod in hanc rem ex Rituali Romano petitur (p. 503).

Sylvestri, Lesii, Sanchez, Angeli, Vazquez, Armillæ, Valentia, Laymanni, Molina, De Lugo, Castropalai, Bonacina, Emmanuelis, Sa, Pontii, Cabassutii, Continuatoris Tournely, Roncaglia, Salmanticensium, Petrocorensis, Abelly, Cardenas, Coninchii, Gammachæi, Isamberti, et aliorum quorum scientia, quanta sit, undique prospecta est; præter Div. Thomam, Div. Bonaventuram, Div. Antoninum, aut Scotum, quorum auctoritas aliis equidem præponi debet.»

» Ex hisce expositis patet, fallaci calculo uti illos qui indiscriminatim auctores numerant, et majorem alicujus sententiæ probabilitatem satis demonstrasse sibi videntur, dummodo paucos auctores pro contraria stare ostenderint.—In primis ab hujusmodi fallaciis cavendum est, ubi in certis materiis de sententiis agitur quæ a multis auctoribus vel communiter tradebantur ante laxarum propositionum damnationes ab Alexandro VII et Innocentio XI enuntiatis, si eadem materia hisce proscriptionibus directe vel indirecte attingitur. Sunt sententiæ id genus, quæ postea communiter rejectæ fuerunt, utpote tales quæ præfatis proscriptionibus difficulter conciliari possint; unde numero patronorum hujusmodi sententiæ insistere, aut argumentum auctoritatis extrinsecæ inde petere, nefas est.

» Tandem, probe recolenda sunt duo momenta, jam superius exposita. Primum, quandoque auctoritatem unius doctoris, omni exceptione majoris, constituere posse opinionem probabilem, et adhuc probabiliorum, contra communem aliorum; quod sane præ aliis de ipso S. Alphonso prædicari debet.—Alterum, sententias S. Doctoris generatim hodie dicendas esse communes.

III

» Sed jam alia audire præstat. Testante cl. Ballerino, S. Alphonso ad complures sive approbandas sive rejiciendas sententias sola doctorum auctoritate inductus est; quinimo PASSIM AUCTORES FALSO ALLEGAT, iisque sententiam tribuit quam ipsi nullatenus tenent.—Non tædeat lectorem pauca quædam excipere.

S. ALPHONSUS.

I. Si opus malum patratum fuit sine peccato, sentiunt Lesius et Vazq... licitum esse de illo delectari, non per se, sed ut causa boni effectus. Sed verius tenendum est oppositum cum Sanch..., Croix, Roncag. et Salmant. (cfr. infra, p. 135).

2. An liceat famulo ob metum gravem scribere vel deferre litteras amatorias concubinæ domini? Quidquid alii dicant, puto cum Salmanticensibus, Viva... etc., hæc nunquam licere; quia formaliter concurrunt ad peccatum heri, fovendo turpem ejus amorem (p. 175).

3. Si (a religioso) accipiatur aliquid ab extraneis, ad aliis præstandum... tunc Garcia..., etc., apud Salmanticenses, assignant pro materia gravi valorem majorem 60 argenteis (p. 372).

P. BALLERINI.

I. Salmanticenses, quos secutus est S. Alphonso, dissensionem hic inter doctores confingunt... Sed perperam hæc confinguntur, cum nulla dissensio, nisi forte verbotenus, habeatur (cfr. infra, p. 137).

2. Quod subinde alias, etiam nunc S. Alphonso contigit, ut fallacibus abduceretur allegationibus, quas apud Salmanticenses et Dom. Viva... reperit. Neque enim vel unus e doctoribus quos Salmanticenses et Viva promunt, reipsa doctrinam iis limitibus circumscriptam tradunt (p. 176).

3. S. Alphonso eam opinionem cum allegationibus mutuatus est a Salmanticensibus, quæ tamen omnes, si cum suis auctoribus conferantur, absque afferrè reperiuntur (p. 373).

S. ALPHONSUS.

4. An inter sponsos sint peccata mortalia oscula et tactus pudici, si fiant ad captandam voluntatem? *Prima* sententia, quam tenent Sanch. ac Salmant., dicit esse tantum venialia, licet intendatur delectatio carnalis... dummodo absit periculum pollutionis... *secunda* sententia longe probabilior, et omnino sequenda, quam tenent Lesius, Mazzotta, Roncaglia, Concina, Croix, Viva..., docet tales actus prohibitos esse sponsis, eodem modo quo vetantur omnino solutis (p. 296).

5. Si quis est impeditus adire Episcopum, an possit simplex confessarius eum absolvere a casibus et censuris ab eodem Episcopo reservatis? Respondet *Roncaglia* (posse)... Attamen *Laym.* cum *Suar.*, *Soto*, *Coninch.*, etc., dicunt, casu quo urgeat necessitas..., simplicem confessarium posse pœnitentem absolvere directe tantum super non reservata, et indirecte super reservata (p. 555).

6. An in sacramento Pœnitentiæ sufficiat propositum virtuale sive implicitum, inclusum in dolore? *Prima* sententia negat; et hanc tenent *Suarez*, *Bonacina*, *Cajetanus*, *Valentia*, *Toletus*, *Reginaldus*, *Henriquez*, etc. (p. 443).

7. Si confessarius ex confessione alterius complicitis certo noverit peccatum a pœnitente negatum, melius, meo iudicio, sentit *Croix*, citans *Suarez*, *Dicast.* et *Illsung.*, quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandum negationem absolutionis. Et huic adhæret *Viva*... (p. 588).

»Si itaque cl. professori fidem adhibere velimus, S. Alphonsus passim se exhibet non præstantissimum theologiæ moralis scriptorem, sed merum, quinimo infelicem sententiarum doctorum collectorem. Quid de isto iudicio sentiamus, silentio præterire præstat: respondebunt tot quæstiones infra perpendendæ. Interim ipsum S. Doctorem, huiusmodi assertis solemniter contradicentem, audiamus.

»In *Theologia Morali*, lib. 3, num. 547, S. Alphonsus hæc scribit: «Fa-

4. Hanc autem quæstionem, iudice cl. professore, S. Alphonsus ita tractat, ut ex ibi disputatis vix intelligi queat quo loco vere se res habeat. Insuper prima sententia, quam S. Alphonsus haud accurate exponit, dicenda est communis. Auctores vero pro secunda sententia citati non sunt nisi falsæ allegationes fere ex *Croix*, *Mazzotta* et *Viva* corrogatæ; siquidem allegati auctores vel oppositum tradunt, vel nihil prorsus habent quod ad rem faciat (p. 304, 312, seqq.).

5. Quod S. Alphonsus *Roncaglia* opponat *Laymann*, *Sotum*, *Coninch.* et *Suarezium*... nihil rei ipsa est. Ex his siquidem tres priores hanc quæstionem nullatenus tangunt; *Suarez* vero... mere dicit se magis inclinare in eam partem... (p. 556).

6. Atqui *Suarez* thesim contradictoriam statuit; itemque *Cajetanus* et *Bonac.* plane oppositum docent; *Henriquez* vero tertiam sententiam expresse tradit; et *Valentia* diserte affirmat... *Regin.* denique et *Toletus* non ita primam præferunt ut alteram rejiciant (p. 446).

7. Ista opinio tota debetur hallucinationi, quæ perperam *Suarezii*, *Dicastilli* et *Vivæ* auctoritatem adduxit (p. 588).

cile continget, in hoc meo libro... omnium sensui me non fore satisfactorum. Ab illis enim qui rigidæ vel benignæ sententiæ, plus forte quam par est, amantiore sunt, aut nimis austerus habebor, quia a multorum graviumque auctorum sententiis recessi; aut nimis indulgens, quia plures opiniones libertati faventes, tamquam probabiles approbavi. Testor Deum, cujus honorem et animarum salutem mihi proposui, quod quidquid scripserim, non ab aliqua passione impulsus, aut verbis aliquorum auctorum addictus, vel austeritati aut benignitati nimis adhærens, ad hæc scribenda me induxi. In qualibet quæstione, prævio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare, præcipue in iis quæ ad praxim magis faciunt; et propterea non solum diligentem trutinam perpendere elaboravi rationes quas doctores classici tradunt, sed etiam plures doctos recentiores consulere non neglexi: adeo ut aliquando, in recto iudicio de aliqua quæstione faciendo, multos dies consumpserim. Siquidem non tamquam ovis (ut verbis utar rigoristarum) semitas scriptorum cæco ductu sectatus sum; sed operam dedi ut veritatem assequer, aut sententias quæ magis veritati accedunt amplexarer. Pro viribus sum conatus semper rationem auctoritati præponere; et, ubi ratio me convicit, non renui auctoribus plurimis contraire, etiam iis quibus magis forsitan adhærere potuissem, utpote quia, cum hanc scientiam addicerem, ad manus meas ante alios illi pervenerunt... Et in epistola quadam apologetica subjungit... «Ella può osservare nella mia Opera di Morale, in quante opinioni, dove la ragione non mi persuade, io mi allontano dalle sentenze tenute dagli autori Gesuiti; e non solo dai Gesuiti, ma ancora negli stessi termini tenute dagli autori d'altre religioni, Teatini, Domenicani, Carmelitani, Francescani, e simili. Io venero i Gesuiti, è tutti i religiosi; ma in quanto alla morale, sequito quel che mi detta la coscienza; è dove la ragione, poca specie mi fanno le autorità de moralisti...» Quam vera sint hæc et alia plura, quæ adduci possent, S. Alphonsi effata, nullum sane moralistam latet, et ex infra dicendis luculenter patebit.

»Nos profecto minime contendimus opera moralia S. Doctoris omnibus prorsus nævis carere. Non carent, sive quod stylus aliquando langueat; sive quod sententiæ quædam majori ordine et perspicuitate potuissent exponi; sive quod idcirco species contradictionis cum alibi dictis quandoque appareat.—Libenter etiam concedimus, quosdam perpauca auctores interdum a Sancto nostro pro aliqua sententia minus recte allegari. Ast, cuinam theologo de disciplina morali diffuse tractanti non idem exprobrandum esset? Imo et doctores, alioquin diligentissimi, ab hac culpa non reperiuntur immunes; si tamen culpam dicere liceat errores nec voluntarios, nec ex negligentia procedentes, et insuper substantiam rei minime attingentes. Quinimo ab huiusmodi imperfectionibus immunes evadunt ne ipsi quidem SS. Patres, atque clarissima Ecclesiæ lumina. Inde est, quod tot auctorum commentaria existant; quod sæpius de mente scriptorum dubitetur; quod denique in pluribus controversiis idem S. Doctor *Augustinus*, præpmissis et *Div. Thomas*, ab utraque parte vindicetur.—Humano quippe modo loquendo, non potest non fieri quin in ampliori opere, quemadmodum in *Theologia Morali* S. Alphonsi, inter plura millia citatorum (1) aliqua excidant errata; præsertim si de quæstionibus et sententiis varias distinctiones et

(1) He aquí una nota de las *Vindicias Alfonsianas*: «In quatuor fere millibus quæstionum, quas complectitur sola *Theologia Moralis*, et in quibus solvendis S. Alphonsus octingentorum circiter auctorum sententias allegat et perpendit, huiusmodi citata sunt saltem numero triginta quatuor millia.»

restrictiones comprehendentibus agitur. — Diximus *interdum*, nam ex infra exponendis clare liquebit non S. Alphonsum, sed potius ipsum P. Ballerinum, maxima saltem ex parte, errare, auctorum textus minus recte citando, vel etiam mutilando: ita ut ejusdem culpæ, quam S. Alphonso objicit, ipse plerumque reus evadat. Imo, si sensa nostra aperire liceat, censemus vix ullum reperiri probatum scriptorem moralem, qui (habita saltem ratione operum amplitudinis) in interpretandis auctoribus tot mendis scateat; nec ullum profecto novimus, qui tot laborans indigentis, nihilominus correctoris munus sibi assumpserit.

IV

»Nec satis. Judice cl. Ballerino, complures S. Doctoris sententiæ, præter fallaces allegationes, NULLUM HABENT SOLIDUM FUNDAMENTUM, nec intrinsecum, nec extrinsecum. — Cl. professorem paulisper audiamus.

S. ALPHONSUS.

1. Quod urgeat præceptum charitatis in articulo mortis, *probabilissimum* est: ut Spor... et Antoine cum communi (cfr. infra, p. 149, art. 2).

2. Ut famulus possit comitari herum ad lupanar, vel sternere equum, *probabilius non sufficit sola ratio famulatus*, etiam si sine famuli ope herus adiret: saltem requiritur *metus gravis damni*. Ita Sanchez, Viva, Salmanticenses (p. 165).

3. An satisfaciatur præcepto, qui tempore Missæ peccata sua confitentur? Resp. *Negative cum sententia communi*... Secunda vero sententia affirmat... Hæc... non videtur omni probabilitate destituta; sed quia observari eam a pluribus gravibus doctoribus rejici, modo non audeo probabilem dicere (p. 275).

4. Sententia communis et probabilior, quam tenent Suar., Vazquez..., docet, contritionem debere omnino procedere ex solo motivo charitatis, nempe, divinæ bonitatis offensæ... (p. 400).

5. An, ut dolor sit materia apta, debeat esse elicitus cum intentione confessionis? *Negant* Lugo... *Affirmant* vero Busebaum... *Prima* est

P. BALLERINI.

1. *Nulla solida ratio* apparet, sive *intrinseca*, sive *extrinseca*, cur opinionem de hac obligatione quidam (vide S. Alphonsum) communem aut probabilissimam dixerint (cfr. infra, p. 150).

2. *Nec Sanchez, nec Salmanticenses habent reipsa doctrinam* quam eorum nomine hic tradit S. Alphonsus... *Nec ratio ergo, nec auctoritas A.* (Patris Gury) doctrinæ suffragatur; nam et Viva, a S. A. allegatus, fallaci tantummodo Sanchezii citationi inmittitur (p. 165).

3. Verum vix apparet ubinam sit excessus externæ probabilitatis pro negante..., præsertim quod nonnulli (auctores pro negante prorsus abs re afferantur, v. gr.; Suar. et Azor., qui reipsa nihil de hac questione habent... Et concludit: «Solidam aliquam ac manifestam rationem plane deesse» (p. 276).

4. *Verum auctoritas, e qua totum hujus opinionis robur existit, penitus deficit* (p. 399).

5. *Secunda sententia affirmans aliquam ad summum probabilitatem habet*. Quæ autem ratiuncula affertur apud S. Alphonsum nihil probat. *Nec ma-*

S. ALPHONSUS.

probabilior; sed cum secunda etiam sit probabilis, ante susceptionem Sacramenti tutius docet Cardenas, in prop. 1.^a Innoc. XI, hanc esse sequendam (p. 411).

6. An, si quis statim post absolutionem confitetur peccatum oblitum, teneatur novum elicere dolorem?... Secunda sententia affirmat, et hanc tenent Bon., Vazq., Filliuc... Cum sit probabilis, imo probabilior..., ego saltem tutius censeo tenendam (p. 418).

7. An in confessione sufficiat attritio ex metu pœnarum temporalium prout infliguntur a Deo?... (Cum sententia negativa) non careat sua probabilitate, saltem extrinseca, puto tutius in praxi eam servandam esse (p. 426).

8. An in sacramento Pœnitentiæ sufficiat propositum virtuale, inclusum in dolore? Prima sententia (quam S. Alphonsus tenendam dicit) negat; et hanc tenent Suarez, Bonac., Cajet., Valentia, Toletus... (p. 443).

9. An ignorantibus invincibiliter reservationem, excusentur ab incurrendis casibus ab Episcopo reservatis?... Sententia communior, cui subscribo, univarse negat... Ratio, quia reservatio non est quidem pœna respiciens pœnitentem, sed *rescriptio jurisdictionis* respiciens confessarios; et de hoc non videtur dubitandum (p. 515).

10. An requiratur monitio, si censura sit comminata a jure ferendæ sententiæ?... Probabilior sententia dicit, non requiri; eamque tenent Busem., Bonac., Sanchez, etc. (p. 853).

11. Si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam citatio fieri debet: ita Suarez, Bonacina, et Salmanticenses cum aliis. Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi iudex procedat ex officio... Ita Salmant... (p. 863).

»Infelix profecto S. Doctor! Ipsemet quidem (lib. 3, num. 547) solemniter testatur: «In qualibet questione, prævio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare, præcipue in iis quæ ad praxim magis faciunt; et propterea

P. BALLERINI.

gis urget ratio petita ex prop. 1.^a ab Innoc. XI proscripta (p. 412).

6. ... Adde, pro secunde ista sententia *perperam allegari* (apud S. Alphonsum ex Croix) Vazquez, Bonacina et Fillicium... *Neque auctoritas igitur, neque solida ratio ulla suffragatur isti opinioni* (p. 419).

7. *Rationes S. Alphonsi* (pro sententia negante allatæ) *nec ullam vel tenuem probabilitatem* (ipsi) conciliare possunt (p. 427).

8. *Prima illa sententia... reipsa vix ullum patronum habet*, et idcirco non nisi ex falso supposito aliqua ipsi probabilitas tribuitur (p. 447, art. 8; et 445, art. 1, 2).

9. *Hæc ratio, quæ pro ea opinione vel unica, vel saltem ceu potissima afferri solet, nihil concludit* (p. 516).

10. At sincere dicendum et auctores ab ipso (S. Alphonso) citatos *abs re afferri, et nulla solida ratione eam opinioem muniri* (p. 854).

11. Hanc opinionem S. Alphonsus *ex lapsu oculi perperam* putavit se reperisse apud Salmant., qui reipsa oppositum docent... *Corruit ergo totum illius opinionis fundamentum, quæ alioquin contra communem aliorum doctorum* (p. 863.)